

Q. D. B. V.

25

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE EO,

QUOD GENUINUM, ERRONEUM &
SUPERFLUUM EST

IN VARIIS

**GRATIÆ DIVINÆ
DIVISIONIBUS,**

QUAM,

P R A E S I D E

**CHRISTOPHORO MATTHÆO
PFAFFIO,**

S. THEOL. DOCT. & PROF. PRIM.

CANCELLARIO & PRÆPOSITO TUBINGENSI,

ABBATE LAUREACENSI,

Ad d. XVIII. Decembr.

DEFENDENT

M. JOANNES FRIDERICUS BEZ, Neostadiensis, &

M. FRID. CHRISTIANUS GOEZ, Affumstadiensis,

SS. THEOL. STUD. IN ILL. STIP. THEOLOGICO.

T U B I N G Æ,

Typis ANTONII HENRICI ROEBELII,

A. 1744.



Gratia est beneficium divinum, ex benevolo Dei affer-
tu, qui & gratia in sacris literis audit, oriundum,
naturae entis rationalis absque ullo hujus merito su-
peradditum, & intellectum & voluntatem ad asse-
quendam beatitudinem perficiens. Contradistinguitur itaque
naturae, merito, gloriae. Scilicet de gratia creationis, conser-
vationis & providentiae divinae in regno naturae & potentiae no-
bis nulla nunc quæstio est, per consequens nec de supernaturali-
tate in hoc, quæ in miraculis elucet.

§. I.

Ratione subjectorum queritur I. de gratia Angelorum, II. de
gratia hominis integri, III. de gratia hominis Christi, IV. de
gratia hominis lapsi & restituti. Sola haec medicinalis est, per
meritum Christi parta.

§. II.

Quod primò Angelos attinet, queritur, num Angeli in pu-
ris naturalibus ita fuerint creati puri & sancti, ut solis naturae
viribus & velle & facere bonum, & perseverare in eo potuerint sine
ullo gratiae supernaturalis vel influxu & concursu DEI super-
naturalis auxilio, & num gratia haec ipsis fuerit concreata aut
demùm superaddita, & quidem tūm *actualis*, tūm *habituglis*, vel
æqualis omnibus vel *inæqualis*, ita, ut hāc vel illā maestri plus vel
minus gloriæ potuerint mereri, vel perseveraverint in bono vel
secùs, idque ex prædestinatione *absoluta*, vel ad prævisos ipso-
rum in perseverando conatus *majores* vel *minores* eosque vel
naturales vel *supernaturales* ordinata? Porro, num competitierit

A

ipsis

ipsis competitque adhuc in bono confirmatis gratia revelationis mysteriorum fidei, antea ipsis incognitorum, adeoque *gratia fidei*, vel & *gratia gratis data vi Eph. III. 10. 1.Pet. I. 12.* & num *gratia confirmationis in bono ipsis jam in V.T. aut demum in Novo contigerit?* Item, num gratiae haec omnes, num gratia prædestinationis Angelicæ, saltem gratia revelationis mysteriorum fidei, fluat ex merito Christi & num hujus virtute meriti & salvari adhuc possint Angeli lapsi? Videas hic veteris Ecclesiæ Doctores, videoas Scholasticos & antiquiores & sequiores, videoas recentiores alios in divertia abire sententiarum. Confer saltem Petavium de Angelis L.I.C. 16. Beganum in Theol. schol. P.I. tr.3. C.2. Gotti in Theol. schol. dogm. T. V. p. 251. sqq. & Tournely in prælect. Theol. T.V. p.38. sqq. edit. Colon. Otiosorum hominum, quorum nimia est in sacris curiositas, & qui sapere volunt ultra id, quod revelatum est, haec quæstiones, si à potiori fiat denominatio, sunt. Scilicet, cùm Angeli fuerint creati Filii DEI Job.XXXVIII. 7. cùm de diabolo dicatur, quod in veritate haud perseverarit Joh.VIII.44. cùm 2.Pet. II.4. supponatur, peccasse Angelos, cùm non peccare potuerint, alijs pœnam damnationis haud merituros, cum Judæ 6. dicatur, eos haud servasse principatum, sed reliquise proprium habitaculum, patet, concretam ipsis fuisse ejusmodi voluntatis rectitudinem, quæ ex viribus naturalibus perseverare in bono potuerint, nec indiguerint, nisi vi divinâ, vires ipsorum naturales conservante. Ceterum gratiam fidei & confirmationis nemo facile illis denegarit, uti gratiam Christi lapsis & jam damnatis. Non est instituti nostri, hanc in rem, quæ dici quirent vel dicenda esent, dicere heic.

§. IV.

Jam & de homine integro queri videoas, num imago divina, quæ ornatus fuit, fuerit donum supernaturale, puris naturalibus additum, num & opus habuerit ille ad bonum faciendum & præprimis perseverandum in illo & ad merendum quoque auxilio gratiae supernaturalis tūm, sine quo non posset agere, & quod potentiam conferret, tūm quo ageret, ad actum ipsum vel physicè vel moraliter prædeterminatus, vel quo saltem resistibiliter adjutus ex naturæ viribus cooperaretur? Et num hoc gratiae auxilium datum ipsi fuerit ex merito Christi futuro? Non est,

et, quod in
ximè, cum i
sine quo non e
rem, quod su
concreta, ad
naturale fuit,
tellectus & in
mandum & n
gratiam divina
cum homo ag
buitur cetero
gratiosa, quæ c
denti, cùm ill
gratiosa salten
fundatum adm

Nunc de g
petunt autem i
municationis id
tes sunt meriti
lycias exulta,
simpliciter & g
Matth. XXVII
data misericordia
Il.8. Sibaves,
homini per nat
uralem, sanctam
& gratias grati
ne personali &
mediante Spiritu
s. Auentes, ve
humana & na
Quidm itaque
tia, quæ tam
gratia thefane
mines, unas
quod de die i
sufficiente iplu

est, quod in evolutione harum questionum simus prolixii, maximè, cum in disquis, de distinctione Augustini inter *adjutorium* sine quo non & quo orthodoxa an erronea? dixerimus hanc in rem, quod sufficit. Scilicet imago divina, quæ sanè homini concreata, adeoque ipsius naturæ haud superaddita, sed donum naturale fuit, idque propagabile, licet & amissibile, in luce intellectus & in promptitudine voluntatis constitit ad DEUM rite amandum & mandatis ejus obsequendum, quæ promptitudo per gratiam divinam excitantem & cooperantem fuit adjuta, ut, cùm homo agere bonum posset, & vellet agere & ageret. Tribuitur cæteroquin homini integro gratia *animæ, corporis, loci, gratiosa*, quæ contradistinguitur *gratuitæ*, omne meritum excludenti, cùm illa meritum, non tamen in sensu stricto, sed in gratiosa saltem operis facti æstimatione & promissione divina fundatum admittat.

§. V.

Nunc de gratiâ Christo homini collatâ agendum est. Competunt autem ipsi 1) gratia unionis personalis, 2) gratia communicationis idiomatum, & 3) operationum, quæ gratiæ fontes sunt meriti infiniti, 4) gratia exaltationis Phil. II. 9. ubi εξαρτάο exstat, quod h. l. significat *donavit*, licet aliâs & *dare* simpliciter & *gratificari* significet. Non enim dixit Christus Matth. XXVIII. 18. *Merui omnem potestatem in cœlo & terrâ*, sed, *data mihi illa est*, unde dicitur *bæres omnium*, Hebr. I. 2. juxta Ps. II. 8. Si bæres, non sanè ex merito, sed ex gratiâ. Nolim, Christo homini per naturam sanctissimo adscribere gratiam aliam supernaturalem, sanctificantem illam, sive actualem, sive habitualem, vel & gratias gratis datas, ut prophetæ, miraculorum, nisi ex unione personali & communicatione idiomatum & operationum, mediante Spiritus S.unctione Jes. XI. 2. LXI. 1. Ps. XLV. 8. Joh. III. 34. fluentes, vel hujus communicationis pedissequas, dona Christi humana & naturalia magis magisque exornantes & elevantes. Quòd itaque Luc. II. 52. Joh. I. 14. 16. dicitur plenus fuisse gratiâ, quâ tamen creverit, sensus est partim, quod inexhaustos gratiæ thesauros, quod plenitudinem gratiarum, quas in homines, unas post alteras, depluere possit, possideat, partim, quod de die in diem & gravior DEO & hominibus factus fuerit, crescente ipsis, ut sapientiâ, ita & sanctitate Joh. XVII. 19.

Ebr. V. 7. 8. ex viribus & naturalibus & à Αγω & Spiritu S. adiutoriis
 Haud dici potest, quot, sed otiosas sanè, quæstiones heic cum-
 mulent Scholastici, e.g. an in Christo fuerit gratia & actualis &
 habitualis, & quomodo ea se habeat ad gratiam unionis? num
 anima Christi non saltem radicaliter & causaliter, sed etiam
 formaliter per unionem cum verbo fuerit sanctificata? Utrum
 gratia Christi potuerit augeri vel sit infinita & quidem non sal-
 tem extrinsecè & moraliter, sed & per aliquid sibi intrinsecum,
 & esse major intensivè, ut adæquet vel potius superet omnes gra-
 dus gratiæ Angelorum & hominum collectivè sumtos? utrum de
 potentia DEI absoluta potuerint humanæ operationes Christi es-
 se supernaturales & meritoriae supernaturalis præmii sine gratiæ
 habituali & aliis habitibus infusis? Num in Christo fuerint vir-
 tutes & infusæ & acquisitæ, fides, spes, timor, pœnitentia &c.
 item gratiæ gratis datae? Num gratia secundum quam Christus est
 Caput Ecclesiæ, sit personalis vel habitualis? Taceo plura. Qui
 scholasticam quæstionum harum, valde otiosarum resolutionem
 nosse voluerit, adeat ex infinitis Didacum Alvarez de incarna-
 tione divini verbi disp. 31. sqq. p. 184. sqq. & Card. Gotti Theol.
 schol. dogm. T. XII. p. 278. sqq.

§. VI.

Sequitur, ut de gratiâ hominis lapsi & restituti agamus, quæ
 uti §. 1. diximus, medicinalis est, Christi parta merito, eadem
 que vel objectiva, acquisita, universalis, æqualis & prorsus indebita,
 quæ est gratia redēctionis per Christum factæ, vel subjectiva, ap-
 plicatrix, ex gratiâ redēctionis necessariò oriunda, quæ est par-
 tim universalis, licet inæqualis, uti gratia vocationis, quæ est vel
 indirecta & communis & pædagogica per notitias naturales & fa-
 mam Evangelii, vel directa per ipsam Evangelii prædicationem,
 tūm externa, tūm interna, tūm vocans, tūm revocans, partim parti-
 cularis, vel extrinseca, uti justificationis, adoptionis & electionis, vel
 intrinseca, uti illuminationis, conversionis, quæ actualis est, sanctificatio-
 nis, quæ habitualis est & consequens, perseverantiae item, quæ utriusque
 est pedissequa. Universalis gratia sive acquisita, sive applicatrix ad
 voluntatem DEI antecedentem spectat, particularis ad consequentem,
 ordinatam per consequens.

§. VII.

§. VII.

Videas, quum de gratia conversionis & sanctificationis agitur, distinctiones praeter rem cumulari. Sunt, qui distinguant inter gratiam assistentem & inhabitantem, & ad assistentem referant gratiam prævenientem, quæ & aliæ incipiens audit, & in cordis compunctione, præparantem, quæ in illuminatione, & operantem, quæ in ipsa conversione se exerat, inhabitantem verò vel ajant perficientem vel adjuvantem, perficientemque distinguant iterum in conservantem, confirmantem, roboran tem & consolantem, adjuvantem vero dispe scant in sanctificantem, augentem vel locupletantem & consummantem. Ita Fechtius in diff. de ordine modoque gratiæ divinæ. Alii, ut Kœnigius in Compendio Theologico, gratiam prævenientem ajunt obiectum salvificum repræsentare, præparantem hominis repugnantiam auferre, operantem vires supernaturales conferre, excitantem hominis voluntatem ad assensum movere & compunctionem cordis operari, perficientem actum fidei producere, quam in statu conversionis gratia inhabitans seu sanctifica sequatur. Alii gratiam conversionis esse vel operantem vel cooperantem ajunt, supponentes, hominem per vires à gratia præveniente acceptas postea gratiæ convertenti cooperari. Non opus est magno isto distinctionum cumulo, qui λέπον παράδεια; reddit difficilem. Sufficit, dixisse, quod hominem convertendum gratia præveniat per repræsentationem statutum damnationis, in quo jacet, & gratiæ per Christum partæ, intellectum & cor ipsius illuminando, tangendo, ut super se reflectere curaque rei suæ spiritualis agi incipiat, unde & hæc gratia incipiens dicitur, quod porro, si ejusmodi reflexionibus ampliorem faciat locum homo, id quod ex viribus jam per gratiam prævenientem concessis potest, gratia in ipso luctam motusque pœnitentiales cieat, fideique in Christum operetur initia, unde operans dici possit, tandem vero ipsam conversionem resolutionemque in ipso efficiat, penitus se Christo ipsiusque Spiritu tradendi, atque, quicquid est concupiscentiæ pravæ, abnegandi prorsus, quod opus gratiæ perficientis est. Jam, si quis & gratiæ operanti cooperantem vel adjuvantem aut assistentem adjungat statutum, atque adeò, quod homo jam in conversione gratiæ cooperetur & ipse, modò statuat, fieri hoc ex viribus, quas præveniens contulit, supernaturalibus, non video, qui erret, vel dicat aliquid semiplagiani. Ex omnibus vero gratiæ actualis, qua convertitur homo, effectibus & effectibus peculiares gratiæ species efficere superfluum est.

¶ ¶ ¶

§. VIII.

Gratiæ hujus *actualis & convertentis* pedissequa est *inhabitans*, ex parte DEI tractus & concursus divinus, non *transitorius*, sed *continuus*, quo homo conversus de die in diem sanctificatur magis, ex parte hominis *sanctimonia habitualis*, virtutum Christianarum habitus, habitualis contra concupiscentias & tentationes pravas victoria. Huic gratiæ *inhabitanti & sanctificanti* cooperatur homo ex viribus in conversione acceptis, unde & *cooperans* illa est, & *adjuvans & concomitans*. Hinc *auxilia & adiutoria* gratiæ admiseris utique in *sanctificatione*, sed non in *conversione*, maximè, si in ordine ad cooperationem hominis per vires naturales id fiat.

§. IX.

Nondum omnes gratiæ divinæ divisiones absolvimus. Distinguitur illa & in gratiam gratis datam & gratiam *gratum facientem*. Posterior est gratia iustifica, conversiva, sanctifica. Prior est *gratia charismatum*, sive *extraordinariorum & miraculosorum*, sive *ordinariorum*, maxime *officialium*. Quidni satius foret, *gratiam charismatum* dicere, quam *gratiam gratis datam*, qualis & *gratia gratum faciens* est.

§. X.

Ita & facile largior, gratiam in ordine ad gradus suos dici vel *æqualem* vel *inæqualem*, *majorem* vel *minorem*, *sufficientem* vel *abundantem*, quæ & *gratia pro gratia* Joh. I. 16. dicitur, modò *sufficientem inefficacem* ad conversionem ipso actu perficiendam haud statueris.

§. XI.

Est & *gratia vel immediata & miraculosa*, quæ extra ordinem conversionem operatur, qualis e.g. Pauli erat, cum converteretur, & *mediata* per verbum agens, quæ sola hodie obtinet. Errant, qui verbo divino efficaciam *insitan* ad conversionem operandam denegant, *adgitam* saltem largientes, hoc est, qui dicunt, verbo divino saltem competere efficaciam significativam & moralém, quam vero concomitari ad extra in conversione debeat tactus Spiritus S. *immediatus*, in animam influens, cui soli, absolute DEI decreto substanti, debeatur conversio.

§. XII.

§. XII.

Jam verò & peccant, qui gratiæ *sufficienti efficacem*, & *externæ internam contradistinguunt*, qui & gratiæ *irresistibilitatem* adscribunt & *inamisibilitatem*, qui & gratiæ *revocatrici limites* ponunt, qui modum operandi gratiæ *absoluto DEI decreto* vel & *præscientia in DEO mediæ substernunt*, vel malè determinant, si-
ve per *cooperationem virium naturalium*, uti Molinistæ, vel, uti Congruistæ, per *congruitatem circumstantiarum externarum*, in
quibus homo situs est, vel & temperamenti naturalis, quo pol-
let, unde & distinctio in *gratiam congruam & incongruam* prorsus
rejicienda est, vel per *prædeterminationem physicam*, uti Thomi-
stæ, vel *moralem*, vel per *delectationem superiorem*, quām quæ est
concupiscentiæ pravæ, uti Jansenistæ, vel ex *vi interna insita*, cui
homo *resistere nequeat*, & quæ necessariam cum effectu conne-
xionem suâ naturâ habeat, & *gratia per se efficax audit*. Expli-
canda paulisper hanc in rem quedam sunt.

§. XIII.

Diximus, *gratiam sufficientem malè efficaci* contradistingui.
Sunt Romanenses, sunt Reformati, quorum hæc distinctio est, alio
atque alio sensu sumta, ajentes, per *sufficientem*, quæ & reprobis detur,
ut inexcusabiles fiant, & efficax foret, si ex *prædestinatione* talis
esset, converti neminem, sed saltem per *efficacem*, quæ ex abso-
luto DEI decreto solis electis detur & electionis absolutæ effectus
sit, vel ita, ut, cùm DEUS ab æterno vi scientiæ suæ mediæ præ-
viderit, cuinam gratiæ hic vel ille in tempore sit paritus, elec-
tis saltem & *absoluto suo decreto electis destinaverit gratias*,
queis præviderit parituros, *efficaces eapropter*, reprobis ex abso-
luto decreto saltem illas, queis præviderit non parituros,
adeoque *sufficientes* quidem, sed *inefficaces* ex solo eventu, illas
verò, queis præviderit parituros, ex eodem denegaverit, velita,
ut electis saltem dederit gratias conversionis *actum necessariò*
effecturas, h.e. *efficaces*, reprobis vero saltem *sufficientes*, h.e. *poten-
tiam* saltem *se convertendi conferentes*, in *actum* verò nunquam
deducendam, utpote, quem sola gratia *efficax* conferat. Con-
ficta fuit hæc distinctio, ut palpus objiceretur gratiæ univer-
salitatem, quæ tām perspicuè in sacris literis elata exstat, urgen-
tibus. Scilicet & reprobis sic competit gratia, sed effectum
nunquam sortitura, cum certā resistentiâ ex naturâ suâ conjun-
cta. Sed, quām fculneum sit hoc effugium, non opus est, multis
dice-

dicere. Ita enim hæc gratia sufficiens non oriretur ex benevolio DEI affectu, quod contra definitionem gratiæ §. I. datam est. Ita DEUS gratiam hanc dando non intenderet hominis salutem, quod itidem contra definitionem datam militat. Et, quî quæso gratia illa potest dici sufficiens, quæ effectum assequi haud valet, & nonne illa potentia est illusoria, quæ in effectum deduci nescit? Indigna hæc DEO sunt, indigna Viris, res sacras serio tractantibus. Cæterum, si quis gratiam sufficientem illam nuncupet, quæ, utpote actu primo efficax ad effectum conversionis sufficit, licet ex pravâ hominis resistantia illam ipso secundo actu haud operetur, gratiam vero efficacem ex eventu illam saltem dicat, quæ conversionem ipso actu efficit, aut si quis ajat, gratiam sufficientem, quæ det nō posse, non posse non esse junctam gratiæ efficaci, quæ det nō agere, hoc est, gratiæ prævenienti certò succedere operantem & proficientem, nisi homo resistat, orthodoxa quidem hæc distinctio est, sed nullius usus & incongruae nomenclationis. Eâdem ratione illusorium & hoc est, si, qui gratiam ex absoluto decreto particularem fingunt, de merito Christi ajant, quod universale quidem sit ratione sufficientia, sed particulare ratione efficacia & destinationis, saltem ad electos spectantis.

§. XIV.

Ita & malè gratia externa & interna sibi contradistinguuntur hoc sensu, ut gratia & vocatio quidem externa contingat etiam reprobis, sed interna, quæ cor tangit, solis electis. Gratia enim externa ex intentione divina interna post se trahit. Quod si in reprobis esse nequiret, redderentur excusabiles.

§. XV.

Nunc de resistibilitate vel irresistibilitate gratiæ agendum est. Ficulneum est, gratiam externam & sufficientem internam saltem resistibilem dicere, gratiam vero ad conversionem datam irresistibilem, idque ex absoluto DEI decreto. Jam & ficulneum est, dicere, electos quoque subinde diu gratiæ prævenienti, vel & gratiis parvis, imo & majoribus resistere, tandem tamen à gratiæ inevitabiliter, irresistibiliter, indeclinabiliter, insuperabiliter, uti Augustinus de corrept. & gratia C. 12. ait, vinci & superari, vel & gratiam saltem perseverantiæ & finalē esse irresistibilem. Etsi enim gratiæ tactus, qui in momento fit, sine deliberatione vel præviâ, vel concomitante, sit naturâ suâ irresistibilis, utpote

ut pote indeliberatus, id quod maximè in gratiæ prævenientis, quæ & potentiam non resistendi irresistibiliter largitur, primo motu conspicuum est, tamen, ubi deliberatio primo isti tactui & motui succedit, omnis gratia resistibilis est, adeoque & amissibilis.

§. XVI.

Hoc quùm dicimus, placet in verba Concilii Tridentini, quæ resistibilitatem gratiæ insinuant, commentari quædam. Ait illud sess. 6. c. 6. quod homo DEO ipsius cor tangente, inspirationem illam abjicere possit, & can. 4. Si quis dixerit, liberum arbitrium à DEO motum & excitatum non posse dissentire, si velit, anathema sit. Quis crederet, esse Theologos Ecclesiæ Romanæ, qui inficiuntur, statui à Patribus hujus Concilii gratiam resistibilem? Quam cum existimant, Augustino esse contrariam anti-Molinistæ, distinguunt inter sensum *compositum* & *divisum*, ajentes, verba Concilii in sensu *diviso* sumenda, ut inferant gratiæ saltem resisti posse in sensu *diviso*, non in *composito*. Si hæc distinctio in sensu genuino & obvio sumatur, ridicula est. Scilicet, quùm extat in Evangelio, cœci vident, verum hoc est in sensu *diviso*, non in *composito*. Vident cœci, id est, qui fuerunt cœci, in ampliatione, non in statu. Hoc ad verba Concilii applicabile non est, cum Concilium sensum *compositum* in terminis inferat & loquatur non de homine gratiæ carente, sed ab illâ moto, excitato, tacto. Porrò ridiculum esset, dicere, quod homo gratiæ resistere possit, quâ caret, & hunc sensum Concilio affingere, quemadmodum & ridiculum foret, dicere gratiam *irresistibilem* in ipso actu, quo illi non resistitur. Impossibile enim est, resistere simul gratiæ & non resistere. Quod cum ita sit, distinctionem hanc inter sensum *compositum* & *divisum* alii explicavere aliter, afferendo instantiam. Cum e.g. dicitur, hominem sedentem posse & stare, non negatur illi hæc potentia in sensu *diviso*, sed saltem in *composito*. Scilicet, dum sedet, impossibile est, ut stet, statio enim & sessio non possunt jungi, ast, dum sedet, potentiam tamen servat standi. Ita, cum dicit Concilium, gratiæ resisti posse, fingunt, sensum esse, eo ipso momento, quo homo à gratiæ vincatur & per eam convertatur, illum nihilominus conservare potentiam resistendi, sed in

actum non deducibilem unquam, mortuam scilicet, non vivam. Sunt hæc re verâ somniantium deliria, nîque est certius, quam, quod hoc anathemate Tridentino ligati sint omnes Augustiniani, Thomistæ & Jansenistæ in Ecclesiâ Romanâ. Qui, quæ de sensu *composito* & *diviso* heic inter Molinistas & Thomistas, partim publicè in Congregationibus Romanis de auxiliis gratiæ, partim privatim inter Danjelem & Meyerum, Jesuitas, atque Reginaldum & Serrium, Dominicanos, aliosque, imo & contra Jansenistas disputata sunt, adeat fontes alibi à nobis citatos. Vide Livini de Meyer diff. de mente Concilii Tridentini circa gratiam physicè prædeterminantem C.7. 8. f. 17. sqq. Danjelis traité de l'efficacité de la grace P.2. ch.8. Opp. Theol. T.2. p.638.sqq. & Tournelii prælect. de gratiâ Christi T. I. præf. **2 p. 288. 332. T. II. p.368. sqq. & adde Alvarezum de auxiliis gratiæ L.9. disp. 92.94. p. 733. sqq. itemque Reginaldum de mente Concilii Trid. circa gratiam per se efficacem P.I. C.33. col.319. sqq.

§. XVII.

Diximus, in determinandâ gratiæ operatione errare primò omnes, qui illam absoluto DEI decreto substernant, in specie vero Molinistas & Congruistas, quod partim existiment, Deum ad exequendum hoc decretum scientiâ suâ mediâ uti, partim liberum arbitrium hominis post lapsum supponant gratiæ cooperari posse & re ipsâ cooperari, partim ex crongruitate naturali efficaciam gratiæ derivent, porrò errare & Augustinianos, sive Thomistas, sive Jansenistas, sive alios, quod gratiæ prædeterminationem sive physicam sive moralem, vel efficaciam per se, vel per delectationem superiorem, quam quæ sit concupiscentiæ pravæ, adeoque hoc vel illo modo *irresistibilem* statuant. Conferri hanc in rem possunt, quæ in dissertationibus in dicterium, quod DEUS facienti, quod in se est, conferat gratiam, item de libero hominis arbitrio in naturalibus & spiritualibus, de adjutorio sine quo non & quo, & de gratiâ congruâ & incongruâ scripsimus. Scilicet gratia & dat rō velle & rō agere, sed *resistibiliter*.

§. XVIII.

Infinitæ sunt de gratiâ quæstiones, quas Scholastici cumulant, maximam partem otiosæ. Plaustra impleri possint libris, hanc in rem editis, maximè inde ab eo tempore, quo Romæ de auxiliis gratiæ disputatum fuit & Jansenismus à Pontificibus Romanis fuit damnatus. Recensēbimus, ut fidem rei faciamus, ex quæstionibus illis principaliores, non quidem illas, quæ ex §§is antecedentibus formari possent, sed quæ præter ea, quæ jam testigimus, solent proponi. E.g. quæritur, utrum gratia ponat aliquid in animâ & sit qualitas vel virtus, & utrum sit in essentiâ animæ tanquam in subjecto? An DEUS sit causa gratiæ primaria, Christus homo secundaria? An DEUS sit causa gratiæ creando illam vel ex potentia animæ obedientiali educendo? Utrum homo in actibus supernaturalibus, quos operatur ex gratiâ DEI, sit causa in suo ordine principalis vel saltem instrumentalis? Utrum liberum arbitrium ex se aliquid operetur, quando consentit excitanti & vocanti gratiæ? Utrum liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales sive sociæ in ordine ad actum supernaturalis? An creatura irrationalis sit subjectum capax gratiæ? An de potentia DEI absolutâ fieri possit, ut sibi coëxistant in eodem subjecto peccatum & gratia? Num homo solis viribus naturalibus sine gratiâ possit assentiri veritatibus revelatis, & num, si hoc faciat, DEUS ipsi largiatur gratiam, ut assentia tur, ut oportet, ad salutem? Num DEUS homini facienti, quod in se est, ex viribus naturalibus, largiatur gratiam, & num ejusmodi dispositio hominis naturalis mereatur gratiam de con gruo? Num homo ex viribus naturalibus se ad gratiam disponere, contritionis actum elicere, DEUM super omnia diligere, bona opera moralia facere & quasvis tentationes, graves quoque, vincere & hoc quidem saltem ad tempus, aut perpetuò possit? An actibus nostris bonis naturalibus gratia se inserat, eosque faciat supernaturales, vel elevando potentiam liberi arbitrii vel actum, vel utrumque? An supernaturalitas sit sal tem denominatio extrinseca, vel num intrinsecè qualificet actum liberi arbitrii? An bonus usus auxiliorum gratiæ proveniat à solâ innatâ libertate, an ab ipsâ gratiâ? Utrum ratione majoris conatus liberi arbitrii naturalis consequatur homo majora,

sive intensiora auxilia gratiæ prævenientis & excitantis? Utrum absque auxiliō gratiæ per solam extrinsecam assistentiam Sp. S. possit liberum arbitrium elicere actum supernaturalem pœnitentiæ, fidei, charitatis? Utrum gratia excitans seu præveniens sit formaliter aliquis actus vitalis liberi arbitrii, an verò aliquid antecedens actum vitalem? Utrum fieri possit, ut datis huic & illi æqualibus gratiis, hic salvetur, ille damnetur? Utrum facienti totum, quod in se est, ex prioribus gratiæ auxiliis, dentur infallibiliter posteriora? Utrum gratia excitans sit eadem, quæ sufficiens? Utrum gratia sufficiens libero arbitrio det potentiam remotam vel proximam ad cooperandum? Utrum omne auxilium sufficiens secundum aliquam rationem sit efficax? Utrum per gratiam actualē transeuntem quis bonum opus facere possit? Utrum ultima dispositio ad gratiam habitualem procedat ab ipsa gratiâ habituali, an à potentia elevata per solum auxilium actuale ordinis supernaturalis? Utrum in eo, qui habet habitus infusos, ad singulos actus supernaturales sit necessarium auxilium speciale non solum excitantis, sed etiam adjuvantis gratiæ, ab auxilio habitū infusi realiter distinctum? An gratia habitualis sit donum intrinsecum animæ? An eadem hæc sit cum gratiâ justificationis, cum gratiâ sanctificâ, cum charitate? An sit accidens, aut qualitas, aut in specie habitus? Num sit non tantum moralis, sed & physica & formalis participatio divinæ naturæ? An constituat hominem Filium DEI adoptivum? An subjectum immediatum gratiæ habitualis sit ipsa animæ essentia? An homo in gratiâ habituali constitutus indigeat speciali gratiæ auxilio ad perseverandum? Utrum donum perseverantiae realiter distinguitur à dono confirmationis in gratiâ? Utrum donum perseverantiae & efficacia illius dependeat ex liberâ cooperatione liberi nostri arbitrii cum illo? Utrum donum perseverantiae sit omnibus fidelibus commune vel proprium prædestinatis? Num gratia indeclinabilis & insuperabilis Augustini nil aliud sit, quam donum perseverantiae? Tædet me, plures ejusmodi quæstiones referre, quibus Scholastici, quorum rarae sunt definitiones tersæ notionesque determinatae, se miris modis implicant, nonnisi autoritatibus, maximè Augustini & Thomæ Aqu. pugnantes, ubi fieri solet, ut, unico verbulo Augu-

Augustini e. g. captato in mira delabuntur somnia, quæ ne unquam quidem somniavit iste, struantque curiosas rerum evolutiones tenebris haud dissipandis involutas.

§. XIX.

Non decebat, argumentum & quidem tanti momenti, quod totum, quantum quantum est, asceticum est, pede philosophico & scholastico metiri, juxta Scripturam S. saltem & experientias spirituales metiendum. Incrustatur his philosophicis ineptiis vel Pelagianismus, vel Semipelagianismus, vel absolutum decretum, vel gratiæ particularitas & irresistibilitas, quæ omnia cum sacris literis pugnant.

§. XX.

Duas saltem adhuc quæstiones adjungimus sub finem. Num beneficio gratiæ actualis ejusque transseuntis homo irregenitus & cognoscere & facere hoc vel illud bonum opus possit? num motus, quos gratia præveniens, pulsans, excitans in homine convertendo operatur, num desiderium illud gratiæ, num preces illæ primæ, queis gratiam quærerit & anhelat, num lucta illa spiritualis, quæ in ipso se mediante gratiâ operante exerit, referenda sint inter bona opera? Prius eapropter negandum visideri posset, quia homo irregenitus est in peccatis mortuus. Posteriorius, quia bona opera non antecedunt justificandum & convertendum, sed sequuntur & sunt effectus fidei. Utrumque tamen affirmamus. Prius testatur experientia. Fit enim subinde, ut homo etiam irregenitus à gratiâ tactus & ex mero hujus gratiæ tactu e. g. det eleemosynam, vel aliud ejusmodi operetur bonum opus spirituale, DEO placens, ita ut mortuus saltem sit in peccatis, quatenus propriis viribus naturalibus boni nil operari potest, & vitâ spirituali habituali caret. Sed & posteriorius per se patet. Actus DEO placens & ex gratiâ profectus est bonus & spiritualis actus. Distingue itaque inter bonos actus conversionem antecedentes & sequentes. Confer heic, quæ hanc in rem in diss. nostrâ, quam in verba Pauli: *quod ex fide non est, peccatum est*, scripsimus, p. 16. duobus saltem verbis diximus.

§. XXI.

Disputatum ante aliquot lustra magnis animorum motibus fuit inter Theologos nostros de illuminatione irregeniti. Controversia hæc non recens erat & nova, sed antiqua est & scholaistica, in Congregationibus Romanis de auxiliis gratiæ, à Doctoribus Romanensibus, qui de auxiliis gratiæ passim scripsero, ventilata dudum & ad nauseam usque, maximè contra Lud. Molinam, Jesuitam Ulyssiponensem. Origines & historiam illius dedimus in diluc. de libero arbitrio in naturalibus & spiritualibus p. 29.30.

§. XXII.

Cæterū ex nostris, hoc de gratiâ argumentum qui limatiūs excussere, laudamus Triumviros, Hülsemannum, cuius extat de auxiliis gratiæ, quæ vocant, diatribe Scholastica, ubi non saltem contra Scholasticos, sed & Reformatos & Arminianos agit, Dorscheum in pentadec. diss. 9. de efficacitate gratiæ divinæ, inq[ue] tr. de gratiâ contra Ferrium, & J.A.Osiandrum, tūm in disp. de auxiliis gratiæ, tūm in Theol. Acroam. Part. I.

art. I. 2. Plures addere non
vacat.



